

cordia inita sine Apost. Beneplacito a Clara Beltrami et Joan. ac Carolo Beltrami de non erigendo Beneficio et augenda dote alterius jam erecto in loco Ramate, voluit ut iterum scriberetur E. Episcopo, ut referret de annuo reddito a fundatoribus assignato utriusque Capellanæ, de numero Missarum non celebratarum, et a quo celebrandæ sunt juxta fundationes, necnon de alienationibus commissis, et a quibus. In Novarr. Transactionis, 20 Jan. 1821.

(191. Congregationi Illyricorum, quæ ex resolutione S. C. diei 7 Martii elapsi anni investire debebat scuta 439 in frugiferum campum, pro erectione Capellaniarum Giannini, ob impotentiam illa solvendi postulanti debitricem præfatæ summæ soluto annuo fructu erogando in celebrationem Missarum una cum fructu LL. MM. in decisis standum esse respondit S. C. juxta modum, nempe facta obligatione in forma juris valida per Capitulum, seu Congregationem Ecclesiæ Illyricorum, ad successores etiam extendenda (attenta utilitate acceptionis hæreditatis Giannini) quotannis celebrandi ad formam fundationis Giannini tot Missas ad eleemosynam obulorum viginti, quot fructus percipi possent ad rationem scutorum quatuor in singula centum ex capitali scutorum 459, nec non obligatis omnibus, et quibuscumque redditibus a singulis Canonicis ab Ecclesia quomodocumque percipiendis casu deficientiæ, donec erigantur Capellanæ Giannini, pro facultate faciendi multiplicum ex capitali fructifero ex bimestribus LL. MM. a Rev. Camera Apostolica non solutis efformato, et ex scutis 15, ab Ecclesiæ redditibus addendis quolibet anno, donec conficiatur capitale scutorum 674, comprehenso capitali cum Rev. Camera, ut supra, pro Capellaniis investiendum, suspensis interim missis, quæ ex fructibus scutorum 215 celebrandæ essent. In Romana 16 Februarii 1841.

(192. Esse locum nominationi ab Abbate Commendatario Ecclesiæ Divi Laurentii faciendæ ad geminam Capellaniam Semprebenedicti juxta normam fundationis, ita tamen, ut uterque Capellanus, prout E. Abbas proposuerat, debitum præstaret servitium non Abbatiali, sed Cathedrali Ecclesiæ S. Severini, juxta definitionem S. C. Episcoporum et Regularium, ac subsequentem consuetudinem, censuit S. C. In Sancti Severini Capellaniarum, die 13 Februarii et 8 Maii 1841.

(193. Ob nimiam reddituum tenuitatem, nec non onera Missarum, choralisque servitii in Cathedrali Ecclesia Urbisveteris obeundi, quibus gravabantur viginti quatuor primæ erectionis Capellani, reductionem sex Capellaniarum ex actu vacantibus, et primo vacaturis concessit S. C. suppressarumque redditus applicavit, satisfactis prius Missarum oneribus favore superextantium Capellaniarum, qui diligentiores in Chori servitio, et obeundis muneribus ab Episcopo in suo voto expositis se præberent. In Urbeveterana Reductionis, et Applicationis, die 6 Martii 1841, ad 1. Dub.

(194. Iisdemque de causis non esse concedendam, permanente Sodalitio, iisdem Capellanis administrationem reddituum, custodiam Sacrarii, implementum Missarum, ac superextantium reddituum applicationem, ut Episcopus proposuerat, existimavit eadem S. C. Ib. ad 3. Dub.

(195. Standum esse decrevit S. C. in decisis sub die 15 Septembris præteriti anni, ubi definiverat dandam esse institutionem Capellanæ Scipioni Sacerdoti Rioli præscriptos a Fundatrice characteres habentis, non autem manutenendam familiam Rioli in possessione, quam sibi usurpaverat bonorum Capellanæ præfatæ; præscripsit tamen ut Sacerdos Constantinus resideret in oppido Pinnæ ad formam fundationis, voluitque ut bona hæreditaria Annæ Scipioni fundatricis inscriberentur in Catastro nomine Capellanæ, fratresque Rioli monuit, ut consulerent conscientiam suæ. In Firmana Immissionis, die 27 Martii 1841.

(196. Esse locum repetitioni capitalis constituentis dotem Capellaniarum Lucciana ab Exequutore testamentario apud familiam de Fieschis ita collocatam, ut nec census juxta Constitutionem S. Pii V, nec Onus, nec Cambium verum haberetur, sed tantum Cambium fictum ac sicum, decrevit Sac. Congregat. voluitque ut investiretur, vel in bonis stabilibus, vel in Censibus ad formam præfatæ Constitutionis Sancti Pii V, juxta leges fundationis. In Adjacen. 27 Martii 1841, ad 1. Dub.

(197. Cum nec valor, nec redditus fundorum sufficerent pro impensis necessariis ad extructionem Capellæ in Ecclesia S. Mariæ Rosarii Oppidi Vici Alatrinae Diocesis, ubi adimpleri debebat Capellanæ a fundatrice præscripta sub invocatione SS. Marthæ et Magdalenæ, censuit S. C. ad extructionem præfatam non esse cogendam familiam Tomeucci patronam, sed tantum ad erectionem Iconis SS. Marthæ et Magdalenæ in alterutra Capella Priveni existenti juris patronatus ejusdem Familiæ erigenda, ad quas Capellanæ implementum transferri jam indulserat S. C. justis de causis in 2. Dub.; præcipit tamen ut quotannis una Missa celebraretur in festo S. Marthæ, et altera in festo S. Mariæ Magdalenæ, facto verbo cum SS. In Alatrina Translationis, et Permutationis, die 31 Julii 1841, ad 3. Dub.

(198. Sacerdotem Andream Zoppini, quamvis Canonicum, in Collegiata S. Viti Senogalliensis Diocesis nominari posse ad vacantem Capellaniam Zoppini, ad quam vocabatur a fundatore, cum non constaret de illius incompatibilitate cum Canonicatu, tum quia deerant tabulæ erectionis, ex quibus erui posset qualitas Ecclesiastica, tum quia sub eodem tecto cum Canonicatu erat per modum tantum provisionis ob præteritas vicissitudines, respondit S. C. In Senogallien. Incompatibilitatis, 21 Augusti 1841, ad 1. Dub.

(199. Ac præterea declaravit non esse incompatibilia onera Canonicatus cum oneribus Capellanæ Zoppini. Ib. ad 2. Dub.

Al Vescovo di Osimo.

(1. « Dalle nozioni date da V. S. I. e R. e dai documenti esibiti circa le Capellanie di S. Maria degli Angeli di Filottrano si raccoglie, che la qualità di dette Capellanie siano meramente laicali, poichè non cadono sotto la collazione ed istituzione ordinaria per legge di fondazione. Classificate adunque sotto tale natura, il parroco può nominare col solo atto legale, purchè non siano conferite in titolo, nel qual caso necessariamente occorre l'autorità del Vescovo. Questi cappellani però non possono assumere il titolo e quasi dignità canonica; giacchè essi non possono formar collegio, poichè non facit collegium privata societas sed publica auctoritas mediante la spedizione delle Bolle. Ciò posto, sembra che non si possono turbare le nomine nel modo finora osservato, che non vi sia bisogno dell' Istituzione del Vescovo; salvo sempre il caso, che non si conferiscano in titolo, oppure vengano perpetuate nella persona nominata per servire di patrimonio sacro. Nel resto è in facoltà di V. S. I. R. esaminare in visita, se la pia Istituzione sia eseguita, e soddisfatti i pesi, e nel caso, che vi sia qualche Capellano indegno, procedere come Delegato della Sede Apostolica alla sospensione dall' officio, e servatis servandis, fino alla destituzione, avvertendone il Parroco. Tanto doveva in evasione ec. 5 Settembre 1828. » Ex Reg. Episcoporum anni 1828.

(2. Cum quædam pia mulier Capellaniam mere laicalem fundasset anno 1785, et rector fundorum ad Capellaniam pertinentium transcriptionem omisisset usque ad an. 1842. a S. C. EE. et RR. quæsitum est in Romana Impositionis debiti ad 2. « Se, e come si debba prescrivere la vendita delle case? et quatenus negative. 9. Se e come si debba obligare il Capellano a prendere la transcrizione? »

EE. Patres, audito voto E. Spinola, in generali conventu diei 18 Feb. 1842, rescripserunt « Ad secundam negative. Ad tertiam affirmative infra trimestre; alias capiatur ex officio. »

REV. FABRICÆ S. PETRI DECRETA.

(1. Fructus pensionis assignatæ in annuis scutis novem a Sacerdote Jacobo Nance in dotem Capellanæ institutæ in Ecclesia Collegiata et Parochiali S. Petri Avenionensis die procedentereducti fuerunt. Accedit, quod illos debitor non solvit, imo anno 1779, clam a Rev. Fabrica S. Petri compositionem quoad præteritum obtinuit. Sed Sacra Congreg. interrogata, prædictos fructus Capellano ab anno supradicto, quo tempore vacavit Capellania in posterum deberi censuit; et quoad annos præcedentes deducet jura sua, ut iterum omnino audiantur Rev. Fabrica S.

FERRAS. II.

Petri: Avenionen. Cap. 16, Septemb. 1780.

(2. De quatuor Capellaniis ab Alphonso Lopes de Liceras institutis in Ecclesia Cathedrali Archiepiscopus binas suppressit ad reliquarum fructus augendos, sed onus tamen iis auxit Missarum. Imminutis iterum fructibus ex redemptione census, Capellani juxta reddituum diminutionem, reductionem efflagitant. S. C. resolvit reducendas esse ad duas tantum Capellanias cum integro onere missarum omnibus Capellanis a testatore injuncto, atque omnibus aliis oneribus ab eodem præscriptis, facto verbo cum SS.: Compostellana Red. 10 Febr. 1781.

(3. Petrus Maria Constantini hæreditatem contulit Sodalitio Suffragii Arimini, sub lege, et onere, ut binas erigere teneretur Capellanias ad nutum amovibiles cum onere Missæ quotidianæ. Sacerdos Jacobus Ugolini Capellanæ possessor, narratione demonstrans, quod redditus utriusque olim æquabant annua scut. 40, frustra operam suam locat pro Missarum reductione apud S. Congreg. Ariminen. Red. die 13 Martii 1784.

(4. Nuper vacavit una ex tribus Capellaniis fundatis a Maria Virginia Salviati ad totidem Altaria in Ecclesia Cathedrali cum Missarum, ac Choro interveniendi solemnioribus diebus onere. Episcopus postulavit ut sibi facultas indulgeretur supprimendi vacantem Capellaniam, reditusque dividendi inter alios duos Capellanos, qui in posterum tenerentur singulis diebus interesse Divinis Officiis in eadem Ecclesia, spectato exiguo Canonicorum numero ad sacras functiones peragendas. Summus Pontifex juxta petita, firma remanente celebratione missarum, concessit. Modo hanc providentiam satis non esse Episcopus putat ad consulendum ministrorum Cathedralis indigentia, quia nequaquam redditus aliarum Capellaniarum cumulati sunt. Denuo exorat pro Missarum oneris deletionem; et S. Congreg. rescripsit, pro gratia juxta mentem, facto verbo cum SS.: Sanctiminianis die 8. Maii 1784.

(5. Laicalem possidens Capellaniam Sacerdos Joseph Carotti cum onere quotidiani sacri, et servitii Chori in Cathedrali Ecclesia, pro Sacrorum reductione ob imminutos illius redditus magnopere laboravit. Sed S. Congreg. respondit, esse providendum reductionem servitii choralis ad dies festos de præcepto, et ad feriam 4, 5, et 6, et Sabbatum majoris hebdomadæ: Æsina 20 Maii 1786. Urgente Capitulo, ut potius reducatur missæ, quam chori servitium, S. Congreg. a consueta regula non discessit, et in eadem sententia perstitit, die 7 Julii 1786.

(6. Joachim Provenzalius pii testatoris abnepos, quum ex persona abavi sui esset debitor erga Capellaniam laicalem, tum pro quantitate librarum 238, tum pro aliis libris 170, et solidis 15, petiit, ut ab utroque præinopia absolveretur. Obtinuit jam autem suæ paupertatis ratione Capellanæ administrationem, suspensa nominatione, modo petitioni responsum habet hoc modo, quod nempe altera medietas eroganda sit in redintegrationem Capellanæ, donec ære alieno se

83

eximat, celebratis tribus missis in singulis annis, facto verbo cum SS. : Aquen. Cap. die 3 Febr. 1787, dub. 2.

(7. Capellaniam perpetuam fundavit Sacra de Gattis, ac celebrationem Missarum exequi « all'Altare di S. Biagio eretto nella Chiesa Parocchiale della Pieve di Guastalle » mandavit. Hæreditas hujus Capellanæ gravata pervenit ad familiam Cani, quæ exorat, ut in altera Civitatis Ecclesia pro suo arbitrio celebrare valeat. Et S. Congreg. translationem concessit ad vitam Sacerdotis Petri Cani Oratoris pro Missis Capellanæ Gatti tantum. Nam Altare S. Blasii ditatum est Missis, et distat a Guastalla, in qua familia Cani moratur. Nullius Guastallæ 26 Novemb. 1791, dub. 2.

(8. Quum Nicolaus Biane instituta laicali Capellania in Oppido Chiarepernato possessorem gravasset onere residendi, pueros erudiendi, sacramentales confessiones excipiendi, infirmis assistendi, ac Sacra 112 pro ejus anima peragendi, preces S. Congreg. porriguntur pro Missarum reductione inspecta reddituum tenuitate in libell. 245, et loci infelicissimi residentia, et benigne donavit juxta votum Card. Archiepiscopi. Taurinen. Red. Miss. 24 Mart. 1792.

(9. Jussu Francisci Malcalza Capellania erecta fuit cum onere hebdomadali Missarum 4, residendi in sua domo, in eaque recipiendi Patres Ordinum S. Francisci de Assisio, et S. Francisci de Paula. Modo possessor institutionis labentem domum, et neglectam prædiorum culturam inveniens, deprecatus est pro temporaria Missarum suspensione, et dispensatione a residentia et hospitio, ut

CAPELLANUS.

S. CONGREGATIONIS RITUM DECRETA.

(1. An Capellani perpetuo beneficiati Cathedralis Ecclesiæ Comen. comprehendantur sub illis verbis. « Et totus Clerus Cathedralis Ecclesiæ » in quodam Decreto contentis. S. C. R. respondendum censuit: « Dictos Capellanos, si Ecclesiæ adscripti sint, aut aliquo modo ei uti de gremio inserviant, præter celebrationem Missæ in suis Capellis, comprehendendi. Comen. Die 11. Maii 1593. »

(2. Capellani, qui in Ecclesia Monialium, juxta ritum Monialium quotidie Missam celebrant, non possunt Monialium Officium recitare. S. R. C. Conimbrien. die 21. Martii 1795.

(3. Cum in Asceterio Monialium Ordinis S. Francisci adnexo Ecclesiæ titulo Sancta Maria nuncupat. *delle Vergini dette della Madonna*, Civitatis Veronæ commorentur hodie Moniales Monasterii SS. Redemptoris ex Ordine Canonicorum Regularium Lateranensium S. Augustini, separatæ tamen in omnibus a prædictis Monialibus Ordinis S. Francisci, excepta Ecclesia, quæ est communis, ita ut ab utrisque Monialibus servetur propria regula, et recitetur Officium juxta proprium Calendarium; visum est Monialibus Lateranensibus, quod ab earum Capellano quotidie celebranda sit ea Missa, ad quam

domus et prædia reparantur. Annuit S. Congreg. in omnibus ad biennium, celebrata unica Missa quolibet Mense, et docto coram Episcopo de erogatione superextantium reddituum in causam expressam: Lunen. Sarzanen. 19 Januar. 1793.

(10. Scipio Pellegrini in Abbatiali Collegiata Ecclesia Carrariæ Capellaniam sacri quotidiani instituit, Capellanoque demandavit chori festivis diebus, ac matutinis functionibus Cinerum, et Defunctorum assistentiam, eique annua scut. 23, assignavit. Hinc hodiernus Capellanus in reductione ad dies festos vim remedii experiri vult, et adeptus est juxta votum Episcopi: Lunen. Sarzanen. Red. miss. die 14 Dec. 1793.

(11. Capellanæ institutæ a Jacobo Seniore Bracci in Ecclesia Cathedrali Montis Politiani assignandum esse præscribitur fundum scut. 2000. ad formam ejus testamenti. Nam præter detractones legitimæ, ac trebellianæ ei competentes ex allegato per ipsius successores fideicommisso Octavii Senioris, eam reliquit summam in libera hæreditate; hinc hac de causa missarum reductio facta non fuit. Montis Politiani Capell. 10 Maii 1794, dub. 2.

(12. Missas hebdomadales duas Capellanæ institutæ per Conjuges Franciscum, et Margaritam Palini infavorem pauperioris Clerici, ut Sacerdotium petere possit Oppidi Carasai, deindeque reductas per superstitem Uxorem, quæ nonnulla alienavit bona obligata, celebrandas esse decernitur ad formam foundationis. Firmana. Red. miss. die 21 Julii 1794.

S. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Quum Sacra Congregat. institui mandasset Capellanum Curatum in Oratorio Appojani S. Athanasii, haud esse locum erectioni novæ Parœciæ; item jussit, ut ei congrua constituatur, facta obligatione per Communitatem, juxta votum Episcopi « Qui putat assignanda esse scut. 15, ex fructibus ad Ecclesiam Matricem quomodocumque pertinentibus ex scut. 30, quæ Appojani illi Ecclesiæ solvunt; et uniantur scut. 14. Beneficii S. Athanasii, et id augeri potest præstatione illa, ad quam Incolæ sese obstringere parati sunt: » Asculana Erectionis Parochiæ die 26 Novem. 1796, dub. 2.

(2. Jus vero colligendi suffragia compe-

tere dixit Præposito juxta modum nempe « quoad enumerationem suffragiorum coram ipso faciendam. » Ibid. dub. 4.

(3. Capellania diversis sub legibus instituta per sodales Suffragii civitatis Camerini ex redundantibus redditibus sodalitiis, approbatur in Camerinen. Capellanæ die 6 Maii 1797, ad 1. Dub.

(4. Et conceditur Capellano indultum celebrandi Sacrum primo circiter quadrante post meridiem singulis diebus festis ad 2 Dub.

(5. In massam Communem uniri permisit Sacra Congregatio præbendas sex Capellanorum, seu Beneficiatorum Choralium Cathedralis Amerinæ, ita ut omnes, quemadmodum postulabant, æque de massa participarent, et onera ferrent. In Amerina Massæ Communis et alienationis die 25 Januarii 1806, ad primum Dub.

(6. Missam pro Populo applicandam esse definiit Sacra Congregatio a quinque Capellanis Curatis Parœciarum ruralium di *Brugine, Arzarello, Campagnola, Priorega, Pontelongo*, quibus Capellanis Curatis licet ab Archiepiscytero, et Canonicis Collegiatæ S. Martini nominatis, inest tamen cura actualis earum Parœciarum. In Patavina Missæ pro populo die 8 Martii 1806.

(7. Capellanum aliis quinque Capellanis ordinariis adjunctum ex legato Mariæ Ferrata indulto alternativum servitii Chori gaudere definiit Sacra Congregatio, licet ex fundatione servitio quotidiano obstringatur. In Fabrianen. Servitii Chori die 19, Decem. 1807.

(8. Applicationem hæreditatis Minelli in stipendium Capellani Curati, qui est in pago Classerna, concessit Sacra Congregatio, impletis oneribus per Capellanum. In Eugubina Applicationis die 7 Maii 1808.

(9. Suspensionem onerum Missarum Capellanæ institutæ a Lodovico Graziani denegavit Sacra Congregatio, quia deperitio Fundi legati evenit ex culpa Capellani, quem compellendum jussit ad restorationem prædicti fundi. In Æsina suspensionis Onerum, et Residentiæ die 15 Junii 1816, ad 1 Dub.

(10. Cum ea non esset Josephi Raisi patroni Capellanæ laicalis inopia, quæ suaderet concedendam esse suspensionem nominationis Capellani, et applicationem reddituum, adimpletis Missis juxta reductionem ab Archiepiscopo factam, servandam esse decrevit S. Congregatio foundationem, et Archiepiscopo curam commisit, ut ad formam Edicti die 8 Januarii currentis anni editi ab E. a Secretis status, fieret inscriptio fundi Capellanæ. In Ravennaten. Capellanæ die 15 Aprilis 1820.

(11. Canonicos olim Capellanos del Monte duas missas statutis horis per turnum celebrare teneri, sed ab Episcopo posse dispensari, si plura in Ecclesia sacrificia offerantur, censuit S. Congregatio. In eadem ad 4 Dub.

(12. Capellani Collegiatæ Ecclesiæ S. Michaelis Lucanæ Civitatis canonicam institutionem dandam esse, facta prius per Episco-

pum canonica erectione, dixit Sacra Congregatio. Ad Capitulum vero nominationem, et ad Decanum Capituli jus dandi Bullas collationis dictis Capellanis spectare, et hos pro tertia parte Missas conventuales canere teneri cum eleemosyna ex massa distributionum sumenda ad formam constitutionis *Cum semper Oblatas*: Capellanos quoque teneri obsequi, et subditos esse canonicis in choralis servitio, eadem S. Congregatio decrevit. In Lucana Capellanarum die 3 Septembris 1825, ad 1, 2, 3, 4, et 5 Dub.

(13. Sodales Brisighellæ titulo Virginis ab Angelo salutatæ quam Capellanum removersent Julianum Irerè, negotium haud arrisit Episcopo, qui idcirco rescripsit Irerè in officio retinendum, dein, sodalibus haud morem gerentibus, Josephum Bracchinium, rei auctorem, ut ipse putabat, et Sodalitii moderatorem ab Sodalitio arcuit. Dubiis concinnatis, S. C. respondit: Dilata. In Faventina juriis amovendi Capellanum 27 Feb. 1836.

(14. Nominandi jus ad Capellaniam laicalem B. V. ab Angelo salutatæ (cujus patronatum reliquerat fundatrix Elisabeth Ceciliani Mariano Colabucci ejusque fratribus, sororibus et descendentibus, ea lege, ut Capellani pro tempore absque ulla superioris licentia deputandi amovibiles essent ad patronorum nutum) singulis patronis competere, salva prærogativa gradus, et jure repræsentationis, dixerunt EE. PP. In Signina juris patronatus, seu Capellanæ 10 Septembris 1836, ad 1 dub.

(15. Cum Victoria Colabucci Joannem Baptistam Capobianchi ad Capellaniam laicalem B. V. ab Angelo salutatæ nominasset; reliqui patroni, qui omnes per quinque et ultra menses conticuere, consilium postea inierunt, locum amplius fieri nominationi Capellani, magisque expedire si cuncti patroni omnes Capellanæ fructus inter se communiter dividerent, impletis oneribus, S. C. propositis dubiis « an sustineatur nominatio facta in favorem Capobianchi; an sit locus novæ nominationi, seu potius indulgendum, ut impletis oneribus, fructibus communiter patroni fruantur » respondit ad primum *affirmative*, et esse instituentum; ad alterum *negative* in omnibus, et Episcopus curet transcriptionem honorum Capellanæ. In Signina Jurispatr. seu Capellanæ 10 Sept. 1836, ad 2 et 3 dub.

(16. Proposito dubio an et quomodo constituendus sit Capellanus Curatus in oppido Tapeti, cum referret Episcopus, Parochum Colasanti irregularem ac omnino imparem fuisse muneri obeundo, e contra Parœciæ redditus vix uni alendo pares, Parœcianos pauperrimos, mensam Episcopalem inopem reperiri, nec extare in Diocesi simplicia beneficia vacantia quibus Parocho vel Capellano consulendum esset, EE. PP. responderunt « ad Dominum Secretarium cum SS. juxta mentem. » In Lursina Capellani Curati 26 Novemb. 1836.

(17. Nominationem Capellani, quæ pluribus abhiuc annis ommissa fuerat, imperavit